Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tum improbantumque sententiis distractus, ultra eos progredi retinuit.

24) Ann. Mon. Ligni vita l. 2, c. 46: Bernardus Bernardi filius, ex concessione Conradi IV Imperatoris primus Comes Lipperensis, ducta uxore Sophia filia Friderici Bellicosi Comitis Arentbergii; cum ex ea quatuor filios genuisset, jam senex, ejus consensu resignat, et fit Monachus Marienfeldensis Benedictinus, mox Abbas et efficitur Marienfeld (Campus Mariae) Cœnobium Cisterciense, filia Hardenhusii, fundata anno 1183, ab Hermanno ex Comitibus de Lakenelenbogen Episcopo Monasteriensis: Videantur etiam Cranzius Metrop. l. 7. Wolterus Chron. Brem. Henriques Menol. Cister. ad X Kal. Februarii. In Germania beatus Bernardus Comes de Lippia, qui divitias, fœnus, pernens habitum Cistertiensem in Campo beatæ Mariæ induit, ubi et Abbas effectus sanctis moribus subditos informavit, et in Livoniam profectus, Evangelium propagavit mirifice, atque Lehalhensis Episcopus consecratus, sanctissimo fine quevit. Vide Catalogum SS. Cistertiensium recitandum infra ad c. XIV.

25) Sartorius Cister. Cal. tit. 10.

26) Bucellinus Germ. Sac. p. II. Idea Congregationis Sup. Germ.

27) Idea Congreg. Sup. Germ. Filia Dei, vulgariter Lemon — sex leucis Friburgo distans, fundari cœpta est a viro clarissimo D. Petro de Morens, qui fundum construendæ Ecclesiæ et Monasterii contulit Anno 1266. -- Subjaceat hoc Monasterium a Fundatione sua visitationi Abbatis Alte Cristæ, sed hac per hæresin desolata, Monasterio Altorfensi subjectum est.

28) Ariel. Alexander ~~Festo Matthiæ Westmanasti~~ in festo S. Urbani; hoc est XXV Maji, teste Nangio de gestis S. Ludovici. De Jacobo Trecensi (vide supra ad c. XI Add. 83) mentio fit in vita B. Juliana Corneliensis. Fuitis ofuinis natalibus ortus Trevis: inde factus Clericus et Canonicus Landuni; dehinc Archidiaconus Leodiensis probavit visionem B. Juliana et intentionem de instituendo festo Corporis Christi. Porro legatione Apostolica per Livoniam, Bornsiam et Germaniam perfunctus, Archidiaconatum Landuni gessit. Hinc ad cathedram Virodunensem, ad et patriarchatum Jerosolymitanum, demum ad sedem Apostolicam Romanam evectus est in festo decollationis S. Joannis; fuitque coronatus in ecclesia fratrum Prædicatorum Viterbii dominica prima Septembris anni MCCLXXI: teste Bern. Guidone apud Muratorium rer. Ital. t. III; Vallicolore Cleg. 4; et Gregorio Decano in ejus vita, apud Raynaldum Ann. eccl. ad an. 1261; ubi et de expulsione Manfredi.

29) Bernoldus Chron. ad an. 1261. Rakarus, de quiete Austriæ et Stiriæ possessione jam tutus, ausus est facere, quod diu jam animo coxit, et Dominam Margarettam, cujus oderat senectutem, sua voluntate, sine Auctoritate Ecclesiæ, repudiavit. Non solum congressus de sterilitate ejus, sed etiam falso spargens in vulgus, quod certe jam sciret, eam esse Monialem Professam, jussit eam sedere in Chremis, deditque ei Castrum Chrumzenau

24a) Bulla extat apud Henriquem Privil. Cister. cujus exordium memorati dignum: Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Cisterci, eiusque Abbatibus, et conventibus venerabilis Cistertiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Virtutum meritis mitians, et sanctitatis odore fragrans in Ecclesiæ corpore membrum nobilissimum Ordo vester, sic a sui plantatione per omnipotentis mandatorum Domini ambulavit, et unitatem servavit et pacem, quod gratia gubernante divina, nunquam visitationis vel correctionis alienæ officio indiguit, vel in eo nasci potuit superveniens aliquis dissensionis rimula vel fissura etc. Datum Anagniæ Idus Junii; Pontificatus nostri anno sexto.